

M.C.D. 2018

Var.  
446

SYSTEMA  
IN UNIVERSAM  
PHILOSOPHIAM,<sup>6</sup>  
QUOD  
*IN CONCURSU*  
AD SUARISTICAM PHILOSOPHIÆ  
Cathedram  
PUBLICÆ SUBJICIT DISPUTATIONI  
G A B R I E L P E L E C H à,  
ET MONTORO,  
Philosophiæ Magister, & Juris Civilis  
Doctor.



LOCUS CERTAMINIS VALENTINUM LYCÆUM.  
Die x. mensis Septembris anni MDCCCLX.  
*Horis 9. & 4.*

---

VALENTIÆ:  
Excudebat Joseph Thomas Lucas, eod. anno, in Comœdiarum platea.



# PERILLUSTRI VALENTINO SENATUI:

D. D. JOSEPHO DE AVILèS ITURBIDE,  
HISPAÑIARUM REGI A CONSILIIS , REGIORUM  
Exercituum Manipulis Præfecto , Regnorum Valentiæ , &  
Murciæ Quæstori Summo , Regio Administratori , & Judici  
singulari, tum Urbis Valentiæ Patrimonii , tum rerum vena  
lium exactiōnum extraordinariarum, & annonæ , redi  
tuum Generalitatis, cett. Valentinæ Urbis

## P R Æ T O R I :

- D. EMMANUELI FERNANDEZ DE MAR-MANILLO RAMIREZ DE LA  
PISCINA, in S. Officio Valent. Inquisit. Apparitori majori:  
D. VINCENTIO PUEYO, ET NAYRÒ, Centurioni Alæ Equitipe  
destriū Palmensium:  
D. LAURENTIO MERITA , ET LLAZER , J.U.D. in Regiis Audit  
causarum Patrono, & Reg. Milit. Ord. Montesiani Ordina  
rio Advocato:  
D. JOSEPHO MIRALLES , ET CEBRIÀN , Academiæ Regiæ Histo  
rico-Matritensis Socio Honorario:

D.

- D. JOACHIMO VALERIOLA PROXITA, ET CASTELVÌ, Domino in  
Loco de Masalfasar:
- D. FRANCISCO DE VALDA, ET ANDÌA, Primip. Cohortis Lon-  
gobardiæ:
- D. LUDOVICO ALMUNIA PEREZ CALVILLO, March. de Al-  
munia, Gradûs Maris Valent. Præfecto:
- D. BARTHOLOMÆO LASSO DE LA VEGA, olim Centurioni Di-  
macharum Numant. nunc adlecto in primariam Milit. Ur-  
bis Valent. Gener. Urbis Procuratori:
- D. JOSEPHO NARVAEZ, ET PORTOCARRERO:
- D. FRANCISCO PASCHASIO CASTILLO Isco, et QUINCOZES, Phil.  
Mag. J.U.D.
- D. FRANCISCO CEBRIAN, ET BORDES, Reg. Milit. Ord. B. Mariæ  
Montesiæ, ac S. Georgii de Alfama Stemmate decorato:
- D. JOSEPHO CALDÈS DEL REAL, ET BAS DE CARMONA, J.U.D.
- D. GASPAR PASTOR, ET PILES, apud Valentinos violatæ Relig.  
Quæsitores Ministro Familiari:
- D. ANTONIO PASQUAL, ET GARCIA DE ALMUNIA, J.U.D.
- D. VINCENTIO JOSEPHO RAMON, ET DURÀN:
- D. VINCENTIO PASCHALI GUERAU DE ARELLANO, Art. Mag. Ci-  
vilisque Juris Baccal.
- D. JOANNI CHRYSOSTOMO GRANÈL, ET RIBÈS, J.U.D. Reg. Pa-  
trim. à sua Majest. Fiscali Patrono:
- D. PHILIPPO MUROLES, ET XIMENO, J.U.D. in Reg. Audit. caus.  
Patrono:
- D. ONUPHARIO VINCENTIO DANVILA, ET SOLSONA, J.U.D.
- D. FRANCISCO NAVARRO, ET MADRAMANY, J.U.D. Regi à  
Secretis, Regioque Valent. Tabulariorum Præfecto:
- D. MAURO ANTONIO OLLÈR, ET BONO:
- D. JOANNI BAPTISTÆ FALCÒ, ET NOGUERA:
- D. PETRO LUDOVICO SANCHEZ, à Consiliis Regiis, & Secretis,  
necnon Valentini Regii Senatûs Secretario:
- D. FRANCISCO BENITO ESCUDER ET SEGARRA, in Reg. Auditor.  
causar. Patrono, & apud Valent. violatæ Relig. Quæsitores  
Ministro Familiari:

SOLERTISSIMIS RECTORIBUS.

D.

D. JOACHIMO SOLSONA, ET SOLER, Regii Matrit. Patronorum Coneg. Alumn. Decimorum, Primitiar. & Tertiari. um hujus Civit. ac Regni Valent. à sua Regia Majest. privativo Judici, Regii Palatii hujus Civitatis particulari Assessori, & in S. Offic. Inquisitionis à Secretis Ordin. Causar. Patrono:

D. JOSEPHO GIBERT, ET SANCHIZ, in Regiis Auditoriis Caudidico, Regii Milit. Ord. Montesiani Ordinario Advocato, nunc ejus Causarum Fisci Reg. Patrono, atque ejusd. Reg. Tribun. Receptæ, ac Magistr. Mensæ Administrationis Asses.

D. PETRO VINCENTIO TRAVER:

D. JOSEPHO IGNATIO ALFONSO, ET MOREO, Phil. Mag. pro ejusd. Facultatis, & J.U. Cathedrarum, & Præposituræ Civilis candidato, dign. Archiepisc. Advocato Patrimon. Causar. Piarum Curiæ Eccles. Fiscali, earundem Benef. & Matrimon. Consult. J.U. DD. & CC. Consultissimis Urbis

## ADVOCATI S.

D. THOMÆ VINCENTIO TINAGERO DE LA ESCALERA, Domino in Oppido de Ajacor, Regis, Civitatis, & Academiæ fidelissimo

## SECRETARIO.

Tantis ergo Viris Perillustribus, Universitatis Valentinae,  
Cathedralrum Patronis dignissimis, has Philosophiae Antithomisticas Theses, omni urbanitatis affectu  
D.O.C.

GABRIEL PELECHÀ, ET MONTORO.

PRO-



# PROLEGOMENA.



PHILOSOPHIA, si res ipsa expendatur, nihil proinde aliud erit, quām : *Cognitio rerum per causas naturali lumine notas*; nomenque licet à Pythagora acceperit, longè tamen antiquior est, quām ut illius origo Pythagoræ concedatur. Philosophiæ variæ enumerantur partes, Logica nimirum, Physica, Metaphysica, atque Ethica. Ejusmodi verò partium varietas, atque distinctio, quæ à Philosophis omnibus adhiberi jam solet, ex ipsius Philosophiæ fine satis accommode inferri, probarique valet.

## LOGICA.

### I.

EA Philosophiæ pars, quæ mentem nostram in inquirendæ veritatis studio dirigit, *Logica*, seu *Rationalis Scientia* meritò nuncupatur, sicque enodatur : *Facultas agens de modo sciendi quā tali*. Logicam à Zenone Eleate accepit Socrates, atque à Socrate Plato, qui deīn ipsam eleganter adeò illustravit, & auxit, ut dignus fuerit, qui pro Logicæ inventore à plurimis haberetur. Hisce tamen omnibus palmarum præripuit Aristoteles. Divisio Logicæ in docentem, & utentem munerum est, non entitatum. Dividitur Logica in

A

na-

naturalem, artificialem, actualem, habitualem, &c. Hæc virtus est mentis, scientiæ, intelligentiæ, & artis laureolis prædita: ast non eousque attollitur, ut prudentiæ, & sapientiæ strictæ verticem attingat. Actualis Logica est simpliciter, & adæquatè practica. Idem actus potest esse practicus simul, & speculativus respectu diversorum objectorum, etiam si non respectu ejusdem. Logica habitualis adquisita non est simplex qualitas. Actualis Logica ad alias scientias in statu substantiali fœlici omne comparandas unicè est utilis, ad quorum actus tantum directivè concurrit. De subalternatione Logicæ, in arena.

II. Objectum materiale proximum, & per se Logicæ sunt quælibet mentis operationes dialectico artificio donatae. Inde à ratione talis objecti arcendi sunt conceptus objectivi, etiam 2. intentionaliter sumpti, & voces quavis formâ dispositæ. Objectum *formale quo* Logicæ est dirigibilitas passiva intrinseca modi sciendi, *formale quod* directio passiva modi sciendi, quæ non in carentiis, entibus diminuto, & ficto, sed in solis actibus intellectus adæquatè consistit. Objectum attributionis intrinsecum nullum in Logica assignari valet; extrinsecum tamen præcipuum, & inter cætera objecta nobilis est demonstratio. Datur ens rationis dumtaxat habens esse objectivè in intellectu. Tantum per judicium affirmativum falsum de materia impossibili ab intellectu creato effici queit. Intrinsecè consistit ens rationis in coniuncto ex extremis secundùm se realibus pro materia, & cognitione ea falso adunante pro forma.

III. Multiplex circumfertur rerum distinctio, cuius divisiones exponam. Metaphysica ejusdem rei creatæ prædicta distinctionem realem absolutam, formalem ex natura rei, virtualem maximam, ac minimam, necnon præcisionem objectivam penitus rejiciunt; solamque præcisionem ex parte actus patiuntur, quæ tamen ut adæquata, positiva, & exercita sit, dupli non eget cognitione. Universum est: *Unum formaliter realiter, &c.* Inde cum unitas universi à cognitione præscindente sit indistincta, prorsus repugnat illud adæquatè existere à parte rei. Universale in *Logicum*, & *Metaphy-*

*physicum*, ceu in extrema sola ratione distincta partitum reperties; illudque definies: *Unum aptum esse*, &c. Istud verò: *Unum aptum prædicari*, &c. Deus nequit universum efficere, benè verò intellectus creatus cùm humanus, tūm angelicus, per triplicem mentis operationem. Per actum signatè abstrahentem naturam ab unico individuo efformari valet universum; secùs verò per actualem prædicationem naturæ de individuo singulari. Quid? nec attingi naturam communem.

IV. Genus est: *Prædicabile ut pars materialis*, &c. Ejus definitum est concretum adjectivè materiali in recto importans naturam, & in obliquo notionem. De individuis tūm completis, tum incompletis immediatè prædicatur; de illis ut genus; de his verò ut species. Genus subsisteret absque ulla specie logica, non sine dupli physicâ. Species logica est: *Prædicabile ut tota essentia*, &c. Omnis species logica subiectibilis est prædicabilis; at non contrà. Individuum est: *Unum immultiplicabile*. Ab omnibus individuis primò intentioniter sumptis abstrahi potest ratio communis, & univoca individui. Individuum vagum non repugnat à parte rei. Differentia est: *Prædicabile ut pars formalis*, &c. Tria exercet formaliter munera, quæ exponam. Constituit 3. prædicabile in ordine ad individua completae speciei, quam constituit. Differentia infima componi potest ex dupli subalterna aliàs totali. Proprium est: *Prædicabile extra essentiam*, &c. Constituit 4. prædicabile in ordine ad individua completa, sicut & accidens logicum, quod ita exponitur: *Prædicabile extra essentiam*, & *exigentiam*. Ratio universi est univoca, & genus in ordine ad quinque prædicabilia; ejus verò divisio nec immediata est, nec adæquata.

V. Veritas formalis est: *Conformatas actus cum objecto*. Falsitas autem: *Difformitas actus cum objecto*, &c. Utraque ex actu, & objecto essentialiter constituitur. Nulla propositio potest esse vera simul, & falsa, neque de vera in falsam abire. Veritas formalis nec augeri, nec minui valet; benè verò falsitas. Syllogismus est: *Argumentatio, in qua ex præmissis*, &c. Ex conclusione, & præmissis essentialiter coalesc-

lescit. Præmissæ formales solum moraliter influunt in conclusionem, ad cuius assensum neutiquam necessitatur intellectus ex nudo præmissarum assensu. Nec certiores, nec evidenteriores conclusione esse debent. Conclusio licet possit, non tamen debet attingere pro objecto formalis intrinseco objectum materiale præmissarum. Harum præmissam debiliorem sequi valet conclusio formalis. Demonstratio est: *Argumentatio evidens.* Etiamsi ad demonstrationem opus non sit certitudine metaphysicâ, sat non est moralis, benè verò physica. Opinio unà cum scientia ejusdem objecti materialis, sed per diversa media, amicabili fœdere in eodem intelle-  
ctu sociantur.

## PHYSICA GENERALIS.

### VI.

**F**acultas agens de corpore naturali ut tali, definitur Physica: unde corpus naturale est ejus objectum materiale; formale verò ratio communis entis naturalis. Scientia, & intelligentia saltem inadæquatè est Physica, artis quoque nomen sortitur. Corpus naturale duplex habet sui principium, intrinsecum videlicet, & extrinsecum. Illud dat esse rei ipsam intrinsecè constituendo; istud verò ipsam producendo. Corpus naturale, seu compositum naturale *in fieri*, acceptum *fieri* pro sola actione productiva, nullum habet principium intrinsecum; acceptum *fieri* pro ipso composito ut subest per præcissam generationem sui productioni duo; *in fieri* per mutationem tria; *in fieri* per conversionem quinque: tandem *in facto esse* duo tantùm claudit principia. Quænam ista sint? interroga.

VII. Materia i. verè datur, & est: *Pars physica essentia-  
liter constitutiva compositi ut pars materialis.* Physicè constitui-  
tur ex punctis indivisibilibus substantialiter incompletis, &  
numero finitis. Ingenerabilis est, & incorruptibilis, atque  
in omnibus compositis una specie. Est i. subjectum præ forma  
habens propriam existentiam, & potentiam susceptivam for-  
marum, sive substantialium, sive accidentalium secum idem-  
ti-

tificatam. Unicè dependet naturaliter à forma substantiali. Supposito miraculo, omnis privationis formæ actio conservativa materiæ sine forma foret naturalis quoad positivum. Innatè denique appetit formas vagè, indeterminate, ac disjunctivè. Forma substantialis est : *Pars physica, & essentialis formaliter immediatè determinans ad præcipuam denominationem compositi substantialis.* Physicè tamen accepta est entitas quædam à materia realiter entitativè distincta. Omnes quidem formas substantiales, animâ rationali exceptâ, esse accidentia physica tueor. Tota essentia compositi non est sola forma. Eamdem numero materiam divinitùs duæ formæ non subordinatæ informare possunt, & naturaliter quoque, si contrariè non sint ; at in uno composito non tot formæ, quot prædicata essentialia reperiuntur, neque adhuc specialis corporeitatis forma in ullo composito invenitur. Cœlestes, & elementares formæ in mundi primordiis fuere educitæ. Omnia accidentia physica entitativè à materia i. distinguuntur.

VIII. Unio physica est : *Formalis, & immediata determinatio extremorum, &c.* Unica est materiam inter, & formam, ab ipsisque prorsus realiter distincta. Educatio formæ materialis, & potest, & de facto est unio ipsius cum materia, quamvis in suo conceptu formali id non importet. Totum physicè stat in materia, & forma unitis. Natura est : *Principium, & causa motûs, &c.* Materiæ, & formæ unitis competit esse naturæ, non tamen accidentibus, Deo, & Angelis. Deus etiam ut Auctor naturæ valet creaturis strictam inferre violentiam. Ars definitur : *Actus dictans modum faciendi opus.* Forma artificialis stat in correspondentia partium in ordine ad se. Ars ad opera naturæ mediatè directivè tantùm concurrit applicando nempè activa passivis : at aurum arte fieri nequit.

IX. Causa est : *Principium influens in terminum, &c.* In actu 1. præcisivo solam causæ entitatem; in actu 1. remoto vel præsentiam impedimenti, vel absentiam prærequisiti. In actu primo proximo carentiam impedimenti per actum 2. inauferibilis, & prærequisiti cuncti præsentiam : in actu 2. tandem, & causalitatem importat. Quotuplex sit causa? inter-

rogatus aperiam. Prioritate naturæ effectum præit, & dum non existit, nequit operari. Causa efficiens nequit naturaliter operari in distans, quin agat per medium, etsi præventum causis ejusdem rationis. Causa tum creata, tūm increata cum effectūs intrinseca possibilitate connectitur, imo & increata cum effectūs impossibilitate, necnon creaturæ possibles ad invicem connectuntur. Deus immediate concurrit ad omnes effectus creaturæ eadem istius actione, determinans creaturam positivè quoad individuum, si effectus fuerint necessarii, ac moraliter non mali, sin autem liberi negativè ipsa tamen causa libera se ipsam valet positivè quoad individuum determinare, quin à Deo negativè determinetur.

X. Substantia creata est immediate operativa, tum alterius substantiæ, tum accidentis, tam in se ipsa, quam in passo extraneo. Accidens potest aliud adæquate producere. Duæ causæ in actu secundo totales possunt naturaliter influere physicè in eundem numero effectum. Duorum mutua physica causalitas quoad primum esse, etiam in diverso genere causæ, prorsus repugnat: at quoad secundum esse, nec duarum, nec unius in se ipsam implicatoria apparent. Creaturæ inest virtus obedientialis ad quodvis non repugnans. Materia est causa materialis intrinseca compositi, & extrinseca formæ. Causæ formalis effectus primarius est compositum; secundarius verò expulsio formæ præexistentis in subjecto, quam solùm moraliter efficienter causat. Finis est: *Id cuius gratia, &c.* Virtus motiva finis in sola ejus bonitate cognita consistit. Quinam operentur propter finem? Roga. Causa exemplaris eit: *Id cuius instar aliquid fit.* Tām exemplar formale, quam objectivum obtinet rationem causæ idealis, quæ moraliter tantum operatur. De causis per accidens, in palæstra.

XI. Actio est: *Formalis, & immediata determinatio causæ, &c.* Passio: *Formalis, & immediata determinatio passi, &c.* Possibilis est actio idemtificata cum agente, vel termino absoluto; defacto tamen ab utroque secernitur. Creatio est: *Actio se ipsa non unita alteri tamquam extremo presupposito, &c.* Decretum Dei potest esse creatio Angeli. Possibilis est crea-

tu-

tura principaliter creans creatione philosophica. Eductio est : *Actio se ipsa unita alteri*, &c. Anima rationalis potest divinitus educi, sicut & materialis creari. Actio actionis divinitus est possibilis, atque eductio potest creari, & creatio educi. Reproductio naturaliter est possibilis. Quid sit reproductive? Audies. Infinitum categorematicum prorsus repugnat in creatis, sicut numerus finitus finitorum maximus, & creatura omnium possibilium perfectissima; non autem infinitum syncategorematicum.

XII. Locus aliis est intrinsecus, extrinsecus aliis: ille est : *Formalis*, & *immediata determinatio rei, ut sit in loco in quo est*. Iste : *Extrema superficies corporis*, &c. Præsentia est modus à loco, re, & ejus productione distinctus. In spatio imaginario, quod est purum nihil, Deus non existit. Duorum corporum penetratio, & ejusdem circumscripiva bilocatio divinitus non repugnat. Vacuum est : *Locus realis corpore non repletus*, &c. Istud, sive magnum, sive parvum, naturaliter repugnat; si tamen divinitus induceretur, posset in eo corpus localiter moveri. Causa ascensū, & suspensionis liquido-gravium in vulgatis experimentis non est metus, & horror vacui, sed aeris gravitas, & elasticitas. Tempus est : *Numerus motū*, &c. Hinc tam tempus intrinsecum, quām extrinsecum, propria ratione temporis decoratur. A re, & tempore duratio discriminatur. Nulla creatura, sive permanens, sive successiva, potuit esse ab æterno. Quid æternitas, quidque ævum sit? Et in quo differant? Dicam. De modis incipiendi, & desinendi rerum, in palæstra.

XIII. Motus localis est : *Transitus mobilis ab uno loco in alium*. Re ipsa existit motus localis, atque in serie successiva præsentiarum formaliter positus. Hinc motus localis fieri nequit unico temporis momento. Motus localis, eique opposita quies, sunt aliquid positivum, verèque producuntur. Multifariam dividitur motus cùm ratione lineæ, tùm ratione modi inferendi motum, quorum expositionem quærenti dabo. Corpus ex se indifferens est ad motum, vel quietem, quare semel ad motum, vel quietem determinatum, semper moveretur, vel quiesceret, nisi ab extrinseco im-

pe-

pediretur. Corpus quod primò movetur , ab alio moveri oportet , quod corpus non sit. Causa productiva motū projectorū impetus est corpori impressus , qui sit qualitas entitativa. Motū affectiones præcipuæ sex enumerari solent, *quantitas* videlicet , *determinatio* , *compositio* , *reflexio* , *refrac-*  
*tio* , & *acceleratio*.

XIV. Quantitas motūs est id, quo motus quilibet cum altero comparatus, vel major, vel minor eo dicitur , quod ex ipsius motus velocitate, & corporis gravitate desumendum est. Determinatio motūs est directio mobilis in unam potius, quam in aliam partem. A modo, quo fit impulsus, pendet determinatio motūs. Omnis autem motus quantum est ex se dirigitur per lineam rectam. Compositio motūs contingit cùm plures eodem tempore adsunt determinationes ad motum , qui simplex licet sit, compositus tamen dicitur. Compositio , vel fit ex dupli recto, vel ex dupli circulari, vel ex recto simul, & circulari ; quas compositiones, si libuerit, paucis comprehendam. Reflexio motūs est : *Regressus corporis resilientis ab alio corpore, quod penetrare non possit.* Si perpendiculariter corpus delatum fuerit in planum , per eandem , qua venerat, lineam regredietur. Si verò obliquè incidat, ita reflectitur, ut angulus reflexionis sit æqualis incidentiæ angulo. Corporum reflexio ab impetu , & elaterio repetenda est. In punto reflexionis quies non intercedit.

XV. Est autem refractio : *Inflectio lineæ motūs, qua mobile ob majorem, vel minorem corporis, quod obliquè subit resistentiam, à recta linea, quam insistebat, deflectit.* Si corpus è medio raro delatum incidat in densum perpendiculariter, per eandem lineam incedit absque refractione ; ast si obliquè incidat à riori ad densius, ita refrangitur, ut à perpendiculari recedat; si tamen à densiori ad rarius, accedet ad ipsam. Evidens licet sit dari motūs accelerationem , atque à gravi-  
tate , & impetu derivari , modus tamen, quo acceleratio fit, est prorsus incertus. Corpora quoad motum solum opponuntur ob lineam , quâ diriguntur , adeoque cùm invicem suis motibus occurruunt , sibi invicem obstant , omnesque partes agunt simul actione communi , ut impedimentum remo-  
veant , sicque ulterius incedant.

Maxi-

XVI. Maxima oppositio inter duos motus illa est , quæ fit per eandem lineam ad terminos oppositos. Idcirco motus per diversas lineas occurrentes , eò sunt magis contrarii , quò angulus concurrentiæ obtusior est ; minus verò , quò angulus fuerit acutior. Si linea motū transeat per centrum gravitatis impellentis , & impulsi , in isto producetur ab illo totus impetus , qui à prædicto mobili in corpore , quod impellit , produci potest. Idem corpus naturaliter moveri nequit motibus contrariis. Corpus grave illud dicitur , quod sibi relictum deorsum tendit ; id autem ratione cuius corpus grave deorsum propendet , gravitas est , quæ accidens est entitativum prorsus distinctum à pressione materiæ heterœ , & quavis globi terrauei magnetica tractione. Gravitas alia est absoluta , respectiva alia ; sicut & aliud gravitatis centrum , aliud magnitudinis : de quibus roga. Corpora gravia ad terræ centrum descendunt , ut constituant unum globum totalem. In regione elementari nullum est corpus absolute leve.

XVII. Continuum est totum , cujus partes sunt inter se unitæ. Ex solis punctis indivisibilibus finitis coalescit. Corpus est : *Substantia per se naturaliter sensibilis*. Compressio est : *Corporis affectio*, &c. Fit per accessionem partium ad partes ab extrinseca causa factam , simul cum materiæ subtilis extructione poris corporis contentæ. Tensio est : *Corporis affectio*, &c. Hæc supra compressionem solùm addit deductionem , aut elongationem particularum corpus tensum componentium , extrinsecus factam. Nulla fit sine compressione tensio. Elasticitas est vis , quâ corpora compressa , aut tensa sese ad pristinum statum reducuntur , vel reduci conantur. Corporum elaterium emanat ab ipsorum partium dispositione , & materia subtili , quæ per corporum poros intrans , eos dilatare nititur. Corpus rarum est illud , quod sub magna extensione parum continet materiæ sensibilis. Consistit rarefactio in pororum corporis rarescentis dilatatione , vel etiam novorum apertione facta à materia subtili subingrediente. Corpus densum nihil aliud est , quam id quod sub parva extensione multum habet materiæ corporeæ : consistitque con-

densatio in coarctatione, vel etiam diminutione pororum, & majori ad invicem accessu particularum corporis condensati, & earumdem fixatione. Unde præcipuum discrimen compressionis, & tensionis à rarefactione, & condensatione, stat in eo, quod status compressionis, & tensionis sunt violenti corporibus ita constitutis; non verò status condensationis, & rarefactionis.

## PHYSICA PARTICULARIS.

### XVIII.

**F**acultas agens de corporibus tūm cœlestibus, tūm sublunaribus, secundūm proprias eorum affectiones, meritò Physica particularis appellatur. Mundus itaque est: *Compages ex Cœlo, terraque coagmentata, atque ex his naturis, quæ in ea continentur.* Initio temporis fuit à Deo conditus sex dierum naturalium spatio, & in æquinoctio verno in ordine ad plagas boreales. Unicus est, & valdè perfectus, non vivens. Possibiles sunt alii Mundi perfectiores. Illius magnitudo finita est, etsi incerta, sicuti & figura. Mundus quoad substantiam in æternum durabit, non autem quoad accidentia. Plura excogitata sunt Mundi systemata, de quibus consultus dicam; verumtamen Tychonicum aliis præferendum censeo.

XIX. Cœli nomine intelligitur totum illud ingens spatiū, terraque ad mollem, ejusque atmosphærā circumambiens. Tres utplurimum sunt Cœli, Sydereum nempe, Firmamentum, & Empyreum; omnesque vitâ destituti. Cœlos autem ab Empyreo distinctos compositos censeo ex materiâ, & formâ, atque fluidos, & ab intrinseco corruptibles. Omnes Cœli, sicut & Astra, ab intrinseco moventur. Duplex distinguitur Astrorum genus, alia errantia, inerrantia alia. Omnia ex partibus heterogeneis, solido nempe, & liquido, atque ex materia, & forma composita sunt; non verò propriè animata, sicuti & Cœli. Corruptibilia sunt, globique totales, ac incolis deserta. Cœlestia corpora potentissimè in sublunaria influunt: directè quidem in corpora etiam

etiam nostra ; indirectè verò , & sine detimento libertatis nostræ in potentias , actusque humanos. Unde Astrorum effectus necessarii à peritis Astrologis certò prædici poterunt ; ea verò , quæ ex libera hominis voluntate pendent , nec probabiliter quidem.

XX. Sol est sensibiliter sphæricus , globus totalis , verus ignis , propriâ luce fulgens , habens partes solidas , & fluidas. In solari disco non sunt maculæ , nec faculæ , quæ sint fuligines , vapores , aut exhalationes ex ipso solari corpore erumpentes. Solis eclipsis est privatio luminis solaris in terra ob interpositionem corporis lunaris , alteriusvè syderis. Hinc eclipsis Solis non est realis , sed solum apparet , multòque minus universalis. Luna corpus est opacum , sensibiliter sphæricum , ex se non habens lucem , sed eam à Sole recipit ; superficiem habet asperam , & scabram , montiumque celissimis crepidinibus hirsutam , ex quorum umbris , & fluidâ Lunæ materiâ , maculæ , quæ in ea observantur , repetendæ sunt. Eclipsim patitur quando terræ umbram immersit. Hinc Lunæ Eclipsis vera est , & universalis esse potest.

XXI. Quinque minores Planetæ , Saturnus , Jupiter , Mars , Venus , & Mercurius opaci sunt , nihilque prorsus ex se habent luminis , sed illud totum , quo fulgent , à Sole recipienti. De Astrorum motibus , roga. Stellæ fixæ lumine fulgent suo. Licet in Cœlo aliquæ apparuerint , & appareant Stellæ , quæ novæ dicuntur ; reverà tamen non sunt novæ censendæ. Via lactea est congeries minutissimarum stellularum. Cometæ , neque fiunt ex concretione halituum , qui ex Sole , cæterisque Planetis continenter erumpant , neque nubes à Sole illustratae , sed sydera quædam errantia sunt , quæ unâ cum aliis initio temporis à Deo condita fuere , certa , constantique periodo in Orbem redeuntia. Caudam Cometæ , aliaque ipsius phænomena explicare non renuam.

XXII. Elementum est : *Corpus simplex , in quod alia , &c.* Quaternarium numerum non excedunt. Generabilia , & corruptibilia sunt , ex materia , & forma composita , & non manent formaliter in mixtis. Omnia elementa sunt simpliciter gravia , & in suis respectivè locis gravitant. Nulla est

ignis sphæra supra aerem in concavo Lunæ. Terra est : *Elementum siccum in summo, & frigidum in excellenti.* Physicè tamen ex parte materiæ consideratum coalescit ex particulis ita figuratis, ut quoties in mollem sensibilem coeant, ita invicem cohæreant, ut difficillimè ad invicem separentur. Globi terraquei figura ad sphæricam accedit, licet re ipsa talis non sit. Montes ab initio mundi in terra jam extant. Causa fumi, cinerum, flamarumque è montibus eructantium, interroganti aperietur.

XXIII. Terræmotus est loci, regionisvè concutio, ratione cuius terra quatitur, & non semel ædifica solo miserri- mè æquantur. Verosimilior itaque terræmotus origo ab inflammatione sulphureæ, nitrosæ, bituminosæque materiæ, quæ in terræ criptis accensa fuerit, repetenda est. Globus terraqueus quamplurima continet, ac nutrit in visceribus fossilia, & mineralia diversa. Quadruplex itaque terrarum fossilium genus invenitur, argilacea nempe, creta, ochra, & combustibilis, ex quibus diversæ derivantur species. Harum terrarum diversitas à diversa salium, spirituum, ac sulphurum natura, ex qua componuntur, petenda est.

XXIV. Sal fossilis, qui nativus etiam appellatur eo quod in terræ sinu naturaliter generetur, quadruplex numerari solet: sal communis, nitrum, alumén, & vitriolum, ad quos quilibet alii sales revocantur. Sal communis ex rigidis, & oblongis partibus constat. Nitrum conficitur ex particulis rigidis subtilissimis, & quasi prismatibus triangularibus compactis ex duabus, ex altera scilicet alkalicâ, & altera accida. Alumen ex nitro, & terra porosa conflatur. Vitriolum componitur ex spiritu sulphureo, aquâ, & minerâ æris, aut ferri, aut utriusque simul permixti. Succipingues constant ex particulis ramosis, mollibus, diversimodi figuratis, quæ facile complicantur. Tria sunt notissima genera, sulphur nempe, bitumen, & ambra. Sulphur componitur ex quamplurimis partibus pinguibus, ac inflammabilibus, & ex particulis terreis, atque spiritu accido. Bitumen est succus pinguis terræ concretus, pici non absimilis. Ambra est quædam species bituminis, quod ex oleoso ter-

ra

ræ succo in mare delato in corpus solidum coagulatur.

XXV. Lapis est corpus fossile durum, friabile, per se illiquabile, non inflammabile, neque ductile. Concrescit lapis beneficio succi lapidifici, qui biscosus, & tenax humor est, connectens plurimas terrestres, salinas, sulphureas, aliorumque fossilium particulas. Tot, tantaque varietas lapidum, sylicum, saxorum, & gemmatum, quæ in terra miramur, ex diversis salibus, terris, metallisque succo lapidescente congestis componitur. Magnes nihil est aliud, quam ditior ferriviæ, seu ferrum lapidefactum. Tres sunt in Magnete virtutes eximiæ: quod ad polum inclinatur; quod ferrum ad se trahit; & quod ferro utramque virtutem directricem, & attracticem communicat. In quo istæ consistant, interroganti aperiam.

XXVI. Metallum est corpus fossile durum, liquabile, & ductile. Componuntur metalla ex exhalationibus sulphureis, mercurialibus, & salinis. Ad sex quamoptimè metallorum genera revocari queunt, ad Aurum videlicet, Argentum, Cuprum, Ferrum, Plumbum, & Stannum. Mercurius metallum non est. Quædam fossilia corpora, quæ media sunt inter metalla, & lapides, generali nomine mineralia nuncupantur, cujusmodi sunt, mercurius, antimonium, auripigmentum, arsenicum, marchasita, & omnia penè venena. In globo terraquo sunt denique Hydrophylacia, Aereophylacia, & Pyrophylacia; quæ ista sint, aperiam.

XXVII. Aqua est: *Elementum frigidum in summo, & humidum in excellenti.* Hinc aquæ in suo naturali statu acceptæ potius convenit soliditas, quam fluiditas. Physicè tamen, & ex parte materiæ constat intensilibus, oblongis, flexilibus, ac lœvibus particulis. Congregatio aquarum *Mare* appellatur. Nascitur salsedo, & amarulentia aquæ maritimæ ex variis corpusculis mineralibus, sulphureis, bituminosis, atque salinis. Non sunt altiora majora terris, nec maris profunditas ubique est æqualis. Æstus marinus à Lunæ influentiis causatur. Quomodo? Audies. Fontes cuncti, omniaque flumina ex vaporibus è mari deductis, qui posteà in nubes, & imbræ abeunt, & tandem in stillicidiam, seu pluviam, originem trahunt.

Aér

XXVIII. Aër est : *Elementum fluidum in summo, & frigidum in excellenti.* Verùm physicè ex parte materiae constituitur ex insensibilibus quibusdam ramosis particulis variè complicatis, & cum quadam frigiditate flexilibus. Aër gravis est, maximus elasticus, & penè incredibilis compressionis capax. Quomodo compressionis aeris non sentiamus? In palæstra. Ventus est : *Aer commotus, & agitatus.* Venti sunt procelosi, aut mites. Procelosi sunt præcipue *Ecnephias, Typhon, & Prester.* Ventorum causa in vaporibus, exhalationibus, aut aere per Solem, Lunam, Astra, pluraque alia commotis, statuenda est.

XXIX. In atmosphæra quamplurima phænomena operantur ope exhalationum, & halituum. Ceu ignea meteora, fulmen, fulgur, & tonitru. Fulmen est exhalatio accensa motu vehementissimo evibrata. Fulgur est exhalatio intra nubes accensa, & in aere evanescens. Tonitru sonus ab impietosa exhalationum accensarum, locum ampliorem sibi vindicantium, aeremque vehementissimè commoventium agitatione editur. Tres in nube rorida, aut globulis aqueis à nube descendantibus procreatur, illiusque colores ex rarefacto, & reflexo lumine Solis producuntur. Halo, virgæ, aurora borealis, parellium, & paracellene, ex varia luminum modificatione, & exhalationibus efformantur. De pluvia, grandine, nive, nebula, &c. rogatus dicam.

XXX. Ignis est : *Elementorum calidissimum, & fluidum in excellenti.* Physicè acceptus constituitur ex subtilissimis atomis, seu corpusculis motu citatissimo in omnem partem crientibus. De triplici ignis differentiâ sermonem faciam. Ignis sphæra est cæterorum elementorum regio ; vel si mavis aliam assignabo. Calor est qualitas entitativè à materia distincta congregans homogenea, & disgregans heterogenea. Hinc quamoptimè exponuntur cuncta caloris phænomena. Frigus est qualitas congregans homogenea, & heterogenea: Humiditas qualitas reddens subjectum suum facile ex se aliis adhærens. Fluiditas qualitas reddens subjectum suum facile terminabile alieno termino, & difficile proprio; siccitas demum, qualitas reddens subjectum suum facile terminabile

ter-

termino proprio , difficulter autem alieno. Quæ omnes qualitates entitativæ sunt , ex quibus facile earum respectivè phænomena explicantur. Mixtum aliud est perfectum , imperfectum alterum. Primum est corpus per se , & ab intrinseco exigens quatuor primas qualitates attemperatas. Secundum vero est mixtio elementorum formaliter permanentium. Unde mixtio perfecta est substantialis generatio , non autem imperfecta. Temperamentum est complexum ex quatuor i. qualitatibus attemperatis compossibilibus in eodem subiecto. Aliud est temperamentum ad pondus , quod continet omnes dictas qualitates in gradu æquali ; aliud est ad justitiam , quod easdem qualitates importat in eo gradu mixtis debito.

## METAPHYSICA INTENTIONALIS.

### XXXI.

Cum res omnes gemina ratione sint à materia discretæ, suaptè natura scilicet , & mentis abstractione, meritò duplex distinguitur Metaphysica, una *Intentionalis* , altera *Realis*. Hæc , quæ *Pneumatologia* vocatur, differit de entibus realiter à materia distinctis ; de qua postea erit sermo : illa agit de rebus formaliter à materia sejunctis , & definitur: *Facultas agens de ente reali quâ tali*. Hinc ejus objectum est omne ens reale abstractum à materia. Disciplinæ omnes ex ea pendent, & principia quædam mutuantur. Univoca, æquivoca , & analoga , vel sunt in significando , vel in effendo, vel in participando ; de quibus roga. Actus intellectus nequit esse æquivocum æquivocans. Univoca inter , & æquivoca à consilio nullum mediat analogum. Concretum est: *Complexum ex partibus se habentibus* , &c. In substantivum, & adjectivum partitur. Istud ad solius recti; illud etiam ad partis minus expressæ multiplicationem multiplicatur. Accipi substantivè, vel adjectivè extrinsecus advenit concreto. Duplex est cuiusvis rei essentia, physica videlicet, & metaphysica.

XXXII. Non omnia rei prædicata sunt metaphysica ejus essentia; physica vero idemtice sumpta stat in omnibus prædicatis ipsi rei necessariis cum ipsa adæquate idemtificatis,

&amp;

& cum quolibet ab ipsa indistincto. Ens simpliciter tale est quod actu existit. Tria sunt entis attributa, unitas videlicet, veritas, & bonitas. Unitas est ipsa rei entitas sui divisionem excludens. De ceteris audies. Ratio entis univoca est ad Deum, & creaturas, substantiam, & accidens. Verum differentias abstractissimè sumptas formaliter non transcendent. Intrinseca rei ad existendum potentia consistit in ipsius rei praedicatis ad invicem non pugnantibus. Futuritio formalis stat in carentia rei nunc, & existentia pro postea; è converso tamen praeteritio. Essentia, & existentia in creatis idem sunt. Formales, & passivæ rerum carentiæ nullum esse habent. Impossibile absolutum ab omni possibili non distinguitur. Praedicamentum est: *Concretum ex genere supremo, & ex omni, &c.* Decenaria praedicamentorum divisio non est adæquata. Deus O. M. in praedicamento substantiæ collocatur. Substantia est: *Ens potens naturaliter existere sine subjecto.* Accidens: *Ens non potens, &c.*

XXXIII. Substantiæ divisiones, atque affectiones adducam. Subsistentia in creatis distinguitur à natura, nihilque positivum superaddit; sed præcissam carentiam unionis cum omni digniori supposito. Quid sit suppositum, quidque persona? audies. Quantitas molis non constituitur per extensionem partium in ordine ad se, sed dumtaxat per esse ens rationem sui localiter impenetrabile. A substantia materiæ primæ realiter non distinguitur. In continuam, & discretam secatur. Qualitas est: *Accidens physicum non resistibile ex se penetrationi.* Relatio sic optimè enucleatur: *Respectus unius ad aliud.* Una est formalis, & altera fundamentalis: 1. in cognitione consistit; 2. in ratione fundandi, quæ nonnumquam cum altero relationis extremo identificatur: sæpè cum utroque; aliquando demum ab ambobus distinguitur. De reliquis praedicamentis, & postprædicamentis, in palæstra.

## METAPHYSICA REALIS.

### XXXIV.

**P**Neumatologia, seu Metaphysica realis est: *Facultas agens de ente spirituali;* hujuscemque facultatis objectum sunt Deus

Deus , Angelus, Anima rationalis , ejusque actus. Deus est ens summè , & undequaque perfectum , ipsumque existere quamquam nobis etiam 2. cognoscentibus non sit per se notum ; tamen & fide divina creditur , & ratione naturali à posteriori palam demonstratur. Veritas unitatis Dei , & est articulus fidei , & simul evidenter innotescit. Ea est divina simplicitas , ut nullam præter rationis compositionem admittat. Si Deum , & hominem cogites , nihil solo Deo intensivè perfectius reperies. Omnes creatas perfectiones eminenter continet ; quatenus eas physicè producendo ipsarum est perfectissimum exemplar. Est item æternus , visibilium , ac invisibilium creator , immortalis , ens à se , omnipotens , incomprehensibilis , & imminens ; etiamsi ex præcisâ operatione in omni loco non demonstretur Dei immensitas. Solis intellectione , & volitione formaliter vivit.

XXXV. In Cœlo Empyreo , unàque cum ipso creavit Deus substantias rationales , completas , spirituales , hominibus præstantiores , quæ ab officio *Angeli* , & à mentis acie Intelligentiæ appellantur. Conjecturis ut plurimum ipsorum existentiam deprehendere valemus seorsim à fide. Omnino sunt incorporei , naturâ suâ immortales , solo numero distincti , & realiter indivisibiles , se , & corpora movendi localiter potentiam habent , atque penetrari possunt inter se , & cum corporibus. Triplici mentis operatione ab ipsorum substantiâ distinctâ cognoscunt. In primo suæ creationis momento habitualem gratiam cum cæteris donis infussam cuncti de facto accepere. At plerique cum Lucifero eousque invidiæ , superbiæque elati sunt , ut in tartarum sint detrusi ; reliqui autem , qui in bono steterunt , in tres Hierarchias , novemque choros distributi Deum intuentur.

## DE VIVENTIBUS.

### XXXVI.

**F**acultas ergo illa , quæ de vivente corpori accommodato , ejusque vita differit , Animistica Disciplina optimè nuncupatur. Vivens generatim sumptum est : *Quod tendit , vel potest*

C

ten-

*tendere intentionaliter in objectum*; sicut & Anima: *Forma substantialis vivens*. Non est merè assistens corpori, sed verè corpus informans media unione physica. Caro, sanguis, & ossa informantur ab anima; non verò lac, & semen. Numerica animarum distinctio non sumitur à materia, sed à prædicato, quod vel sit formaliter singularitas, vel dicat formaliter ordinem ad singularitatem; è conversò tamen specifica distinctio. Earum unitas specifica entitativam arguit æqualitatem; inæqualitatem verò non infert specifica diversitas. Materialis anima est: *Forma substantialis vivens corporea*. Brutis vera inest anima, materialis quidem; cæterum entitativè à materia distincta. Brutorum cùm perfectorum, tum imperfectorum animæ, in partes homogeneas sunt integraliter divisibles.

XXXVII. Anima rationalis est: *Forma substantialis, spiritualis, &c.* Indivisibilis est, naturâ suâ immortalis, quoniam ab ipsius natura provenit non dari causas naturales illius destructionem exigentes. Est etiam perfectè spiritualis. Rationales animæ non transeunt à corpore in corpus, neque omnes fuere initio temporis à Deo conditæ, nec à syderibus descendunt curiositate circa res sublunares ipsas stimulante, neque propagantur per traducem; sed tunc dumtaxat à Deo creatur anima rationalis cùm ea in corpore habetur partium evolutio, sive organizatio, quæ ad vitæ munera obeunda immediatè sufficiat. Anima rationalis vera est humani corporis forma. Omnes animæ rationales de facto existentes ejusdem sunt speciei, æquales tamen in perfectione entitativa. Anima in statu separationis à corpore violentiam patitur quoad appetitum innatum, ipsaque valet se, & corpora localiter movere, necnon retinet species, & habitus, quos ante separationem habuit. Animæ damnatorum, & dœmones verâ ignis corporei actione torquentur.

XXXVIII. Tres sunt animæ potentiae, intellectus scilicet, memoria, & voluntas, quæ neque ad invicem, neque ab anima realiter secernuntur. Actus animæ rationalis entitates sunt ab ea discretæ. Potentiae spirituales, & materiales animæ rationalis activæ acceptæ idem realiter omnino sunt.

Ope-

Operationes spirituales in rationali anima solùm; materiales quoque in materia subjectantur. Intellectus est: *Potentia spiritualis cognoscitiva*. Intellectus existit ubicumque residet anima, licet in solo capite eliciat intellec̄tiones, dum est corpori unita. Percipere valet objecta spiritualia in se ipsis. Memoria est: *Potentia spiritualis cognoſcitiva objecti ut alias cogniti*. Voluntas est: *Potentia spiritualis affectiva*. Ejus objectum est bonum ut tale propositum; quare ferri nequit in incognitum, in malum, ut malum, & impossibile ut tale. Humana voluntas libera est libertate à necessitate. Omnes actus vitales creati de facto existentes qualitates sunt in sensu Aristotelico. Intellectio creata indistinguitur realiter ab actione, passione, unione, & expressione objecti, & verbo mentis.

XXXIX. Eadem cognitio esse nequit apprehensio simul, & judicium respectu ejusdem; benè verò respectu diversorum objectorum, licet inassignabilis sit cognitio, quæ vel apprehensio, vel judicium non sit. Judicium, quod unus est, & indivisibilis actus, haberi quærit, quin præcedat apprehensio. Assensus, & dissensus erga idem objectum esse nequeunt in eodem intellectu, si hic oppositionem advertat. Intentionis finis licet possit, non tamen debet distingui ab electione mediorum. Concursus cognitionis in actus voluntatis unicè est moralis. Impossibilis est pura omissio libera. Quæ potentiae spirituales, quæque materiales egeant speciebus impressis ab objecto immisis, in medium proferam. Habitus adquisitus est: *Qualitas difficilè mobilis à subiecto, ipsamque facilitans, &c.* Iste in potentiis spiritualibus datur; nequaquam tamen in sensibus externis. Similitudo actuum inter se, ut ab eodem habitu procedant, debet esse specifica ex objecto formalis.

XL. Sensus autem in communi nihil aliud est, nisi potentia quædam, vis, & facultas, qua corporeum aliquod objectum percipimus; cùmque perceptio ejusmodi alicujus organi, vel certæ corporis partis ope peragatur, hæc sensus organum, sive sensorium vocatur. Quatuor tantum sunt, vel plusquam quinque. Possunt divinitus objecta non exi-

stentia attingere. Potentia materialis nec adhuc miraculosè percipere potest objectum spirituale. Objecti sensibilis perceptio in organis sensuum inchoatur; in cerebro tamen perficitur. Est verò tactus ea vis per singulas corporis partes uberrimè diffusa, qua qualitates illas percipimus, quæ tactiles vocantur. Verùm tactūs organum esse arbitror papillas nerveas. Gustus est illa facultas, qua varios corporum sapores percipimus. Ejus organum sunt nerveæ papillæ, quæ ex interiori linguae parte diffusæ carneam membranam trahunt. Olfactus ea est potentia, qua odores percipiuntur. Ipsius sensorium aliud haberi nequit præter papillas nerveas, quæ per varios ossis cribosi poros sunt trajectæ.

XLI. Auditus ea est vis, qua sonos percipimus, ipsiusque organum in tenuissimis nervorum fibris, quæ super cochleam extensæ, vel distributæ fuerint, positum esse reor. Sonus à corporibus mutuò percussis gignitur. Ad sonum naturaliter producendum hæc tria requiruntur: *Corpus percutiens, corpus percussum, & medium.* Quomodo fermentur animalium voces, & undenam inter eos tanta diversitas, explanabo. Echo est sonus reflexus. Cæteros inter sensus dubioprocul eminet visus, cuius organum in retina locandum est. Structuram quinque sensuum externorum, interrogatus paucis dabo. Objectum visūs est color, accidens utique à luce modificata distinctum: deinceps, lux, sapor, odor, sonus, &c. qualitates sunt in sensu Aristotelico. Corpus, quod lucis radios transmittit, *diaphanum* dicitur, cùm *opacum* appelletur, quod radios luminis sistit. Potentiæ materiales internæ commodè in duas dividuntur, quarum una est materialiter cognoscitiva; altera verò materialiter appetitiva. Illa residet in cerebro, potestque percipere omnia objecta sensuum externorum, atque in hominibus, & brutis reperitur; per judicium tamen, & discursum impotens est se exercere. Ista, quæ appellatur etiam appetitus sensitivus, tam in homine, quam in brutis invenitur.

XLII. Generatio creata universalissimè accepta est: *Aetio eductiva*; corruptio verò: *Desitio rei ob suspensionem actionis eductivæ.* In corruptione substantiali non fit resolutio usque

que ad materiam primam. Fermentatio est: *Motus intestinus particularum insensibilium, quibus constat corpus fermentescens cum quadam expansione, & effervescentia, tendens ad novam, &c.* Tria potissimum ex parte subjecti ad fermentationem requiruntur, de quibus in arena. Fermentum est: *Corpus, quod alteri permixtum, illius particulas in motum excitat cum quadam expansione, &c.* Istudque si primarium sit, stat in particulis saluum accidi, & alkalici ad invicem comparatis. Generatio viventium est: *Origo viventis à vivente, &c.* Hinc uterque parrens activè concurrit ad generationem. Animantium brutorum nullum ex putri generatur, sed cuncta ex semine, vel ex ovo prodire debent.

XLIII. Nutritio est: *Conversio alimenti in substantiam hali- ti.* In nutritione humana duplex intervenit unio, in belluina autem triplex. Viventia cuncto vitæ decursu nutriuntur. Id verò, qua serie, vel ordine peragatur, breviter expone- mus. Hinc aptè explicatur in quo stet fames, & sitis. Conversio est: *Transitus unius rei in aliam sub eodem termino communi.* Nedum destructionem termini à quo, sed veram etiam termini *ad quem*, productionem requirit. Alteratio: *Motus ad qualitatem.* Augmentatio: *Motus à minori ad majorem integrat- liter entitatem;* & è converso diminutio. Intensio qualitatis non fit per majorem expulsionem qualitatis contrariæ, nec per majorem radicationem qualitatis in eodem subjecto; sed per additionem gradus ad gradum ejusdem qualitatis in ea- dem parte subjecti. De facto fit gradibus homogeneis; hete- rogeneis tamen fieri non repugnat. Non datur vera qualita- tis intensio per antiperistasim.

XLIV. Planta sic exponitur: *Corpus vegetans, non sentiens.* Hinc plantæ omnes impropriè vivunt, licet vitâ vegetativâ sint præditæ. Plantarum partes non secùs, ac animalium, vel solidæ sunt, vel fluidæ. Nulla prorsus est planta, quæ ex specifico, proprioque semine cùm primò è terra erumpit, non oriatur. Insitio plantarum, qua nihil invenit agricultu- ra solertiùs, fieri dicitur cùm trunco unius plantæ truncus, gemma, cortexve alterius plantæ inseritur, aptèque conjun- gitur. Insitio plantarum triplex esse potest, aperienda in pa- lae-

læstra. Sicuti sanguis in animalibus , ita in plantis succus alimentitius jugi circulatione cietur , scilicet à radicibus per truncum ad ramos , & folia ascendit , atque ex his ad radices jugi motu remeat. Qua ratione nutritius humor è terra impellatur? audies.

## PHILOSOPHIA MORALIS.

### XLV.

**E**Thica demùm , vel Moralis disciplina est : *Scientia practica circa actus humanos ad honestatis regulas æternæ fœlicitatis intuitu conformandos.* Ultimus humanæ vitæ finis , ad quem nos dirigit Philosophia moralis , non est locandus in corporis voluptate , divitiis, honoribus, famâ, pulchritudine, &c. sed solùm in Deo O. M. cuius perfecta possessio est beatitudo formalis. Ad summam istam fœlicitatem capessendam per actus bonos, & voluntarios contendimus. Actus liber ut bonus dicatur, opus est, quòd regulis morum sit consentaneus. Quænam ergo sit regula moralitatis cùm formalis , & proxima , tùm objectiva , & remota ? Audies. Virtutes illæ , quæ intellectum perficiunt, & intellectuales proinde vocantur, in intellectu ; illæ verò , quæ dirigendis , perficiendisque moribus destinantur , in voluntate reperiuntur. Virtutes morales haud discriminantur à vitiis ex objecto materiali ; sed ex objecto formali , quod in bonitate creata est stabiendum. Has inter quatuor sunt , quibus veluti cardinibus vertitur moralis virtus , prudentiâ nimirum , justitiâ , fortitudine , & temperantiâ.

**LXVI.** Prudentia est : *Habitus verâ cum ratione activus in hiis , quæ sunt homini bona , vel mala.* Justitia , quæ virtutum præstantissima vocatur, sic exponitur à Philosophis , & Jurisconsultis : *Constans , & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi.* Distingui solet in commutativam , & distributivam, quarum essentiam exponam. Optimè fortitudo definitur: *Considerata periculorum susceptio , & laborum perpessio.* Temperantia est : *Rationis in libidinem , atque in alios non rectos impetus animi firma , & moderata dominatio.* Vitium tamen est : *Libera trans-*

*transgressio Divinæ legis.* Peccatum multifariam distingui potest: in originale scilicet, personale, mortale, veniale, &c. quorum discrimina roganti dabo. Agnoscendus est Deus, totaque mente colendus, lexque ipsius omni studio addiscenda est, ut ea, qua pars est ratione adimpleatur. Nedum interius, sed exterius etiam in communi fidelium cœtu, votis, sacrificiis, orationibusque colere debemus. Quod ad nos attinet, illud itaque primò requiritur, ut humanus animus se ipsum, indolem, vires, naturamque propriam accuratissimè inspiciat. Ut perpetuam fœlicitatem assequatur homo, eniti, debet, ut quidquid ab ejusmodi fœlicitatis consequendæ studio retrahat, sedulò declinet.

XLVII. Illæ tamen scientiæ, vel virtutes acriori studio, vel amore inquirendæ sunt, quæ magis ad susceptum vitæ consilium conferre queant. Aliqua tamen cura corpori quoque est adhibenda. Maxima quoque veritas, sincerusque animi candor requiritur, quo commercium humanum debitè servetur, eapropter neutiquam mentiri debemus. In hominum familiâ triplex occurrit societas; prima scilicet viri, & uxoris. Vir itaque, & uxor mutuum non tantùm amorem, sed etiam honorem, fidem, atque adjumentum sibi debent. Secunda est parentum, ac liberorum, qui mutuis quoque tenentur officiis; enim parentes ipsi legitimos filios quicunque illi fuerint, diligenter alere, ritèque educare debent; liberi etiam vicissim erga parentes nedium grati, utrum etiam ad obsequium, honorem, reverentiam, tutamentumque præstandum parati semper esse debent. Tertia est servorum. Ii dominos diligere, ipsis parere, atque injuncti muneris partes implere debent. Legitima illa potestas, quæ in Republica, seu Principatu reperitur, ex sola populi confensione deduci debet. Judex ex hypothesi, quod sententiam ferre teneatur, in causa capitali debet judicare secundum allegata, & probata, reclamante etiam privatâ propriâ scientiâ.


Quamquam in Thesibus istis, quæsita Philosophiæ universæ in probabiliorem partem resolverim, nihilominus in disputantium gratiam quæstiones, quæ sequuntur (inconsequen-


quenti præjudicio dempto) in quamcumque partem ipsi voluerint , propugnabo.

- An Logica habitualis , quoad partem topicam , & sophistical sit virtus mentis ?  
 An Logica sit purè , & adæquatè practica ?  
 An conceptus objectivi secundò intentionaliter accepti sint objectum materiale proximum , & per se Logicæ ?  
 An detur ens rationis , seu purè objectivum ?  
 An unica indivisibilis cognitio possit esse distinctio formalis adæquata , positiva , & exercita ?  
 An actualis prædicatio de subiecto formaliter singulari attingat naturam communem , & efficiat universum ?  
 An veritas formalis recipiat magis , vel minus ?  
 An materia i. dependeat naturaliter à forma substantiali ?  
 An materia i. appetat formas ?  
 An duæ formæ non subordinatæ , neque contrariæ possint naturaliter eamdem numero informare materiam ?  
 An Deus concurrat immediatè ad omnes effectus creaturarū ?  
 An aliqua creatura potuerit esse ab æterno ?  
 An anima rationalis possit divinitùs educi ?  
 An in puncto reflexionis detur quies ?  
 An continuum coalescat ex punctis finitis indivisilibus ?  
 An Cœli sint corruptibiles ?  
 An maculæ , quæ sint vapores , & exhalationes , ex solari corpore erumpentes , dentur in corporis solaris disco ?  
 An Cometa sit sydus ?  
 An sint generabilia , & corruptibilia elementa ?  
 An elementa maneant formaliter in mixtis ?  
 An fontes , & flumina à pluviis , nivibusque dissolutis originem trahant ?  
 An aqua in suo statu naturali expectata sit solida ?  
 An sit possibilis pura omissio libera ?  
 An vera detur qualitatis intensio per antiperiftasim ?


*Vt. Dr. Zephyrinus Marti, Theolog. Prof.  
& Univ. Val. Pro-Rector.*







M.C.D. 2018



M.C.D. 2018

UNIVERSITAT  
DE VALÈNCIA

Universitat de València

Biblioteca Històrica

Var.

446

SYSTEMA  
IN UNIVERSAM  
PHILOSOPHIA M,<sup>6</sup>

I N  
AD SUAR

PUBLIC.

G A B R

E  
Philosophi

IIÆ

H à,

lis



LOCUS CERTAMINIS VALENTINUM LYCÆUM.

Die x. mensis Septembris anni MDCCCLX.

Horis 9. & 4.

VALENTIÆ:

Excudebat Joseph Thomas Lucas, eod. anno, in Comœdiarum platea.